



22

MEDITATIONES

DE

IVRE RESTRINGENDI LIBERTATEM CONSCIENTIAE,

1766

QVIBVS

PRAELECTIONES FVTVRO SEMESTRI, A FESTO MICHAELIS HVIVS ANNI VSQVE AD FVTVRVM FESTVM PASCHATOS IN AEDIBVS SVIS PRIVATIM HABENDAS

216 B

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA INDICIT

IOANNES FRIDERICVS VETTER,

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR, CONSILIARIVS AVLIC. AC QVONDAM IN ACADEMICO-GYMNASIO HAMMONENSI IVRIS ET POLITICES PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS.

FRANCISC. SANCTIVS BROGENSIS *in Praeuat. ad Mineruam; seu de causis Linguae Latinae Tractatum:*

Inuidiam, quam semper contemnere potius, quam deprecari studuerim, neque placare contento, neque nunc declinare cupio; sed tantum aliis inferuire scientiis meis opto atque desidero.

K I L I Æ

LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.
A. MDCCCLXVI.



MEDITATIONES

IN VESTIMENTIS ALBIS
A. M. G. S. C. H. E. N. T. I. A. E.

AD P. M. G. S. C. H. E. N. T. I. A. E.

IN VESTIMENTIS ALBIS
A. M. G. S. C. H. E. N. T. I. A. E.

AD P. M. G. S. C. H. E. N. T. I. A. E.

IN VESTIMENTIS ALBIS
A. M. G. S. C. H. E. N. T. I. A. E.

AD P. M. G. S. C. H. E. N. T. I. A. E.

IN VESTIMENTIS ALBIS
A. M. G. S. C. H. E. N. T. I. A. E.

c
b
p
d
f
l
n
J
g
d
li
p
v
J
e
q
k



In Meditationibus meis, de *Votis, eorumque obligatione*, quibus quondam in Academico-Gymnasio Hammonensi Professor iuris & politici publicus ordinarius constitutus, habendas meas Praelectioniones, more consuero academico publice indicaui, (a) expressis docui, ac praesertim §. VI. & VIII. passimque, demonstraui, quod votum facere spectet ad conscientiae libertatem: Et haec materia, de conscientiae libertate, mihi praebuit ansam nunc quoque pro indicandis praelectionibus meis in hac praeclarissima Academia Chilonensi, Excellentissimis Doctissimisque Professoribus, ut et Praenobilibus, Generosis, et Nobilissimis Studiosis, solidaeque eruditionis aestimatoribus ingenuis exornata, Dei sub auspicio, & Patronorum meorum favore, priuatim instituendis, non nulla, quae in itinere ad hanc Musarum sedem celeberrimam directo in mentem mihi medirabundo venerunt, calamo festinante, ac ergo absque omni verborum pompa, tradere de *Jure restringendi libertatem conscientiae*. Traditurum autem me singularia lectuque fortasse digna de hacce iam commemorata, et nondum ab illo digne enucleata materia praesertim etiam oportere de libertate conscientiae eiusdemque finibus, seu terminis, tanquam praecognita quaedam, ac quasi praemeditata praemittere, iudicabit, ut auguror, vnus vel alter: Sed, quia a Philosophis sic dictis, et *Cr*is haec et ea, ad hanc rem spectantia iam trita sunt satis atque explosa, ab vnoquoque uti spero, condonabitur perfacile mihi, qui recocta recoquere auerfor, ut *Lectorem Bencuolum* ad aliorum scripta, (b) ac quidem breuitatis studio, ablegare nunc mihi su-

A 2

mam,


- (a) Nimirum die V. Martii, MDCCLVII. quo nempe Bellonae ira et furor ad innocentium Musarum Hammonensium periculum, immo dampnum atque calamitatem maximam grauissime exarsit.
- (b) Vid. ANTONII GAVDINI Philosophiae Tom. 4. Quaest. I. Artic. 2. pag. 66. et Quaest. 4. Artic. 3. pag. 133. GUILIELMI AMESII Tractat. de Conscientia et eius iure Lib. 1. cap. 1. seqq. *Celeberr. REVSCHII* Metaphysic. cap. 10. §. 4104. BECMANNI Lineam Doctr. moral. cap. 5. §. 2. seqq.

nam; atque aequis passibus ad rem ipsam, ceu Thesin mente propositam, pro ingenii mei viribus; ac indole, festinanter progrediar. Praemittendum vero, quod omnibus hominibus, sana, ut vulgo loquitur, ratione praeditis, omnino competat conscientiae libertas; quae est facultas animae, seu habitus moralis, ex motibus voluntariis, ceu motiuis, ea eligere ac velle, quae pro veris, iustis, bonisque existimantur, vel auerfari, quae pro falsis, iniustis, et malis diiudicantur. Quum enim homines, qui in tanta animantium varietate soli sunt participes rationis atque consilii, naturae similitudine, ac summi optimique rerum omnium Creatoris et sapientissimi Moderatoris decreto inter se coniuncti & aequales, parem libertatis gradum consecuti fuerint; quemlibet etiam actiones suas, aut quae veri, iusti, bonique speciem habent, ad finem propositum proprio iudicio, uti perfacile ab vnoquoque intelligitur, dirigere semper posse (c). Quamquam autem haud omnes ingenii aciem exacerunt ad vera, iusta, bonaque deligenda, et reiicienda contraria; sed alieno consilio, ne ab officii religione declinent, saepissime indigeant: vltima tamen negotii decisio ad quemque redit, cui consilii sui rationes utique discutiendae sunt, et qui, num sibi conueniant, prius discernere semper debet. (d) Adeo ut a vitiosa imperandi libidine immunes dici nequaquam possint, qui alios, prudentia sapientiaque forte, aut viribus corporis se longe inferiores, nutu suo et arbitrato gubernare, seu regere, ac imperare, vitamque illorum, membra, atque libertatem impetere haud verentur. quamdiu ex factis ipsorum nullam exceperunt offensionem. (e)

Vbi

IOANN. SPERLETTE Philosophiae Moralis, Disput. 3. Quaest. 1. Sect. 3. pag. 39. seqq. SAMUEL RACHELII Institutionum Iurisprudentiae Lib. 1. Tit. 10. §. 8. pag. 29. seqq. DIDACI COVARRUVIAS Resolut. Tom. 2. cap. I. n. 1. et 2. IOANN. ALTHVSII Dicaeologicae Lib. 1. cap. 25. §. 8. pag. 97. seqq.

- (c) Vid. Hug. GROTIJ Tractat. de iure belli & pacis, Lib. 2. cap. 5. §. 27. et cap. 22. §. 11. seqq. HERTII Dissertat. de Socialitate, Sect. 3. §. 19.
 (d) Conf. l. 7. Digest. de captiv. & postlim. L. B. de PVFFENDORF. Dissert. de Statu hom. natur. §. 9. EM. MERILLII lib. I. observ. 15. QVINTIL. Declam. 13.
 (e) Vid. B. GVNDLINGII viac ad veritat. Part. 3. cap. 3. §. 44. SYDNEY Di-



Vbi enim, inquit LACTANTIUS, (f) non sunt vniuersi pares, „aequitas non est; et excludit inaequalitas ipsa omnem iustitiam; „cuius vis omnis in eo est, vt pares faciat eos, qui ad huius vitae „conditionem pari sorte venerunt.„ Neque igitur subactionis causas in priuatis cupiditatibus inclusas esse oportet; neque prius ad arma properare, quam si per disceptationem amicabilem obtineri nequeat, vt sine iniuria in pace viuatur. (g) Patitur enim nulla iuris ratio, aut aequitatis benignitas, vt, quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione, et contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem. (h) Egrege ergo etiam AVGVSTINVS, „inferre, inquit, bella finitimis, „& inde in cetera procedere, ac populos sibi non molestos sola „regni cupiditate conterere, et subdere, quid aliud, quam grande „latrocinium nominandum est? (i)„ Quod ipsum quoque Legati Scytharum tanta sapientia, quantam gens semper armata capere vnquam potest, apud CVRTIVM vrgent, (k) dum ALEXANDRO cognomine Magno, ipsos citra iustam inuasionis causam oppugnantem exprobrant graphicis ac sequentibus verbis: „Quid nobis tecum „est? nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, vnde venias, licet ne ignorem in vastis siluis viuentibus? Nec seruire vlli possumus, nec imperare desideramus. At tu, quite gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium quas adisti, latroes.„ Quamobrem omnes, qui dissidentes secum in cultu Diuini Numinis vi manumque aggrediuntur, atque imperiis consensu gentium, approbationeque tacita dudum quaesitis exuere contendunt, profecto sic affecti sunt, vt non modo res humanas haud bene agant, sed ne recte quidem aestiment, quod ordinis a Creatore praescris-

A 3

scurs sur le Gouvernement civil. Tom. I. pag. II.

- (f) Lib. 5. Diuin. institut. cap. 14. Vbi tamen conferatur GALLAEVS in notis et animadvers.
- (g) Vid. l. 3. Digest. de Iustit. et iure l. 45. §. 4. Digest. ad leg. Aquil. Hug. GROTIJ Tractat. de iure belli et pac. lib. I. cap. 2. Adde IUSTINI histor. Rom. lib. 2. cap. vltim.
- (h) Vid. l. 25. Digest. de L. L.
- (i) de Cautitate Dei, lib. 4. cap. 6.
- (k) Lib. 7. histor. Alexandri M. cap. 8.



praescripti neruos, miserandum in modum, nulla necessitate coacti concidant, qui singulos in mutuam adiutorium illigare debuissent generatos. Etenim nulla prorsus ratio solida et in concussa ostendi vnquam potest, quare indignatione excipiendi sint, aut connata arbitrii libertate priuandi, qui Ens aliquod supremum, quod sua sceleribus decernit supplicia, et virtutibus praemia, venerantur, atque sempiternam ab eo felicitatem exspectant; quamuis diuersis licet ritibus affluerint ceremoniisque. Verum enim vero, religio res animi et intellectus est; quae, vti TERTULIANVS ait, (1) nec alii obest, aut prodest; verum vbi istius tantum veritur vel commodum vel incommodum, damniq[ue] periculum, qui eo, quem elegit, modo Diuinum Numen vnice propitium reddi posse, sibi persuasit: Qua in re si delirat, sibi delirat, atque infelix quidem ac miser censi debet; minime vero nefarius, aut dignus, quem odio plus quam vatiniانو omnes persequantur. Vnde etiam haud incongrue inquit HOBBSIVS: (m) „Iniquum videtur, vt homo, „cuius fides suo solius periculo sumitur, eo nomine puniatur, quod „sit erronea, praesertim ab illis, quibus alienus error damnosus „non est, „ Sane dissimilis ille sensus natura sua minime impedit, quo minus gentium iura, officiaque cuiusque debita rite adimpleantur: siquidem religio, qualiscunq[ue] illa demum fuerit, timore Diuinae Maiestatis continetur; qui solus, teste LACTANTIO, (n) custodit hominum inter se societatem, per quam vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Quin etiam si totius humani generis magnopere interesset, omnium doctrinarum, quae multiplici sententiarum varietate proponuntur, consensum fieri, ac concentum, nae illi vehementer errant, qui armis, cruciatibus, aliisque remediis violenter efficere idem cupiunt! Disfringere iudicii acumen licet, atque modesto examine instituto experiri, num rationum pondere, et amicae suasionis benignitate errantes reuocari in viam rectam

(1) ad SCAVOL, cap. 2. conf. NOODT Tractat. de relig. ab imperio iur. gent. libera, pag. m. 15. seqq.

(m) in Appendice ad Leviathan, cap. 2. pag. m. 351.

(n) in Tractat. de ira Dei, cap. 12. Add. CLASENII Disp. de Religione politica c. 5. SCHVRZFLEISCHII Dissertat. de Vitric. eccles. S. 13. in notis,

etiam potuerint. Verum ne tota quidem crudelitatis officina inuitis extorquebit, vt, dum contra conscientiam amplectuntur religionem, quam in animo credunt iudicantque falsam esse, rem serio velint, quam non intelligunt, aut noxiam sibi fore existimant. (o) Potest coactio quidem dissentientibus silentium imponere; potest etiam hypocritas reddere: ast actum fidei Theologicae elicere, absque proprio iudicii illuminatione, et subsequente ex eadem voluntaria approbatione, certe non potest. (p) Eleganter plane, nec minus grauitur THUANVS, (q) „Experientia, inquit, satis edocti „sumus, ferrum, flammam, exilia, proscriptiones irritasse potius, „quam sanasse morbum menti inhaerentem; ad quem proinde curandum, non eis, quae in corpus tantum penetrant, sed doctrina „et sedula institutione, quae in animum leniter instillata descendit, „opus esse: alia quippe omnia pro ciuilibus magistratus arbitrio, atque „que adeo Principis cura sanciantur atque sanantur; sola religio „non imperatur, sed ex praecepta virtutis opinione, accedente „Diuini Numinis gratia, bene praeparatis mentibus quasi infunditur; ad eam cruciatus nihil valent, quin obscurant potius animum, „quam frangunt, aut persuadent. „ Sic quoque LACTANTIUS (r) iudicauit verbis: „Nihil est tam voluntarium quam religio, in qua „si animus sacrificantis auersus est, iam sublata, iam nulla est. „ Apposite hanc in rem etiam ratiocinatur Autor *Meditationum ad Instrumentum Pacis Westphalicae*, (s) sequentibus: „Cogere velle ad credendum id, quod ipsis aliter videretur, vel ad ritus ceremonias, „que suscipiendas, quae horrore ipsi atque execrationi sunt, vt „cunquē

(o) Vid. BODINVS, in Tractat. de Republica, lib. 4. cap. 7. §. 485. et 488. pag. m. 758. seqq.

(p) Conf. DAVENANTI Tractat. de Iudice et norma fidei, cap. 27. pag. m. 103. B. BOEHMERI Praeceptoris et Promotoris mei fidelissimi, post fata eius etiam a me quam maxime colendi, Iuris ecclesias. Dissertat. Praelim. ad tom. 2. §. 37. et Tom. 3. §. 17. seqq.

(q) in praefat. histor. et lib. 52. histor. p. m. 1055.

(r) lib. 5. c. 19.

(s) Ad Artic. 5. §. 30. pag. m. 425, add. BARBEYRAC, Discours sur la conscience, pag. m. 14. seqq.

„cunque ex errore fuerit, res est non magis a ratione, quam ipsa humanitate aliena.“ Quemadmodum ergo rituum dissimilitudo, an nimirum sit peccatum, quale, quantum, ipsumque an, quo tempore, quo loco, quomodo, quo usque, quem in finem denique puniendum sit? potestne, si iusti esse volumus, et ius suum cuique tribuere contendimus, vel tantum cum ratione agere, per rerum naturam alius, quam Deus, cognoscere, intelligere, statueret? Non potest, ut haec omitam, cur te pigeat eius, quem Deus ipse non odit? Certe cum quo interim utilitatem solis, atque imbris communicat, etsi posset eum statim, & mille modis, si vellet, affligere, cruciare, atque perdere! Sic haud absque ratione mecum indicavit ille quondam apud Batauos celeberrimus NOODT. (t) Idcirco etiam ipsi sanctissimo Salvatore nostro minime placuit, ut ad legem suam recipiendam quis comminatione poenarum pertraheretur: verum aperte contra testatus fuit, se eodem, quod temporalem hanc vitam excipiet, saeculo singulos ac omnes ad reddendam rationem vocaturum. (u) Et hoc est, quod ante B. LVTHERI reformationem a clero papistico, cui imperium in laicorum conscientiam quam maxime arrisit, aspernabatur; per Augustanam Confessionem tamen, ut quondam pluribus demonstraui, (v) in saniores atque meliores cardines radactum est. Etiam si quidem conscientiae libertas inter gentes hac ratione nullo certe modo restringatur; minime tamen ea animo sententia seder, quasi iniustum sit, Indifferentistas sic vulgo dictos, *die Freygeister*, *Freydenker*, quemadmodum Enthusiastas, Deistas, emunctorisque naris homines, quibus istud: Pictoribus atque Poetis semper fuit, aequa credendi, calumniandique potestas, in ore ac corde versatur, iustis poenis affligere, atque ciuitati, cuius membra ab hisce acce-

(t) in *Dissertat. de Religione ab Imperio iur. gent. libera* p. m. 31.

(u) Vid. MATTH. cap. 13. v. 24. LVC. cap. 9. v. 54. IOANN. cap. 6. v. 6 et 7. PAVLVS in *Epistol. ad Rom.* cap. 8. v. 15. PASQUIER, *Recherches de la France*, lib. 6. cap. 25. seqq.

(v) Nimirum in *Dissertatione mea inaugurali, de Beneficiis iuris Augustanae Confessionis* cap. 1. §. 9. pag. 13. quam pro *Grada Doctoris* die 13 Junii 1730. creditorum disquisitioni publice submissi in *Academia Hallensi*.

acephalis et Lucianistis, a LUCIANO, omnium religionum irrisore sic nominatis, corrumpi per facile possunt, proscribere, (w) immo ad cultum diuinum afferendum arma adhibere, ne pars sincera trahatur. Quandoquidem enim dissentientium talis esse impietas potest, vt absque acriore quodam remedio intra officii limites coerceri nequeant. Quod si enim Gaulonitas et Theudas imitaturi ementito religionis nomine discordias, seditiones, bellaque excitant, atque naturae foedus facinorosis machinis interpellare audent, ambigendum haud est, quin sacrorum propugnatio, vel vitae fortunarumque discrimen ab eis recte suscipiatur, qui non aliam laesi iuris reparationem impetrare vnquam valent, donec imperio ciuili subiecti fuerint. (x) Scelera nimirum manent semper scelera, quocunque demum nomine commendentur; immo, eo sunt execrabiliora & periculosiora, quo speciosiore sibi induunt titulum. (y) Itaque neque bellum aduersus Atheos, Indifferentistas, et huius faraginis homines perniciosos, paratum iniustitiae, aut vesani furoris recte arguitur. Quemadmodum enim, dum patriae, parentibus, agnatis, sociis, atque amicis infertur iniuria, per illorum latus nosmet ipsos fauciari credimus: sic multo potiore adhuc ratione sacrilegium contra Diuinam Maiestatem, & leges naturales, tam atroci modo commissum descendere in animum nostrum omnino oportet. (z) Neque sufficit, quod quae Deo facta sit iniuria, ipsi cordi

(w) Optime ergo ac iustissime nuper egit Magistratus Hamburgensis, qui scripta enthusiastica cuiusdam indifferentistae scelerati hominis, speciem tamen prudentis poetae prae se ferentis, manu carnificis in loco publico inhonesto, germanice, am *Wanger*, igni tradere, huicque auctori, adunco quidem naso, sed malo animo malaque mente praedito, consilium abeundi, ac denique relegationem, infamiam secum ferentem, decernere haud intermisit.

(x) Vid. SCHVRFLEISCHII Lemmata antiquit. Francic. §. 13. seqq.

(y) Conf. Hug. GROTII Comment. ad Matth. cap. 13. §. 41. BECMANNI meditat. politic. diss. 23. §. 6. in fine. VALCKENIER *verwirretes Europa*, Part. I. pag. m. 3. seqq.

(z) Conf. WERENFELSII Tractat. de iure Magistratus in conscientias, cap. I. §. 3. pag. m. 7. seqq.

eordi fit, (a) impietatemque, pariter ac caetera facinora foro humano exempta, poenae naturales, caeque grauissimae maneant: siquidem has qui patiuntur, ad alias omnino causas referre solent, ne vera origine inuestigata exorare violatae pietatis vindicem teneantur. (b) „Les Loix naturelles, eleganter etiam ostendit LOCKE, (c) „aussi bien que routes les autres Loix, que l'on impose aux hommes ici bas, serient entierement inutiles, si dans l'Etat de nature, „personne n'auoit le Pouuoir de les faire executer, et de punir ceux, „qui les violent: soit à l'égard d'un Particulier, soit par rapport à „tout le Genre Humain, dont la conseruation est le but de ces Loix „communes à tous les Hommes.„ Cui quoque accedit, quod qui manifesti sanctissimae Diuinitatis contemptores existunt, aut insitam penitus superioris cuiusdam Naturae ideam ex animo eicere conantur, nihil plane nefas sibi existiment; modo coecae ac temerariae mentium dominatrici cupiditati, absque animaduersionis humanae metu, cumulate satisfecerint; etiamsi, probitatis specie simulata, aliud prae se ferre videantur. (d) Tantum igitur abest, ut amicitiae, ac societatis humanae vincula, hac sententia admissa, laxari vnquam debeant, aut vereri necessum sit, ne promiscua quasi pares oppugnandi licentia bellum omnium in omnes, quod HOBESII perniciosum commentum est, renouetur, ut potius nullum certius remedium ad seruandam mutuae concordiae stabilitatem ad inueniri existimemus. (e) „Merito enim, uti praeclare docet VAN DER

(a) Vid. TACITI Annal. Lib. I. cap. 73.

(b) Conf. BERNARD Nouuelles de la Republ. des lettres, Mens. Iun. 1706. pag. m. 648. seqq.

(c) Discours sur le Gouvernement ciuile, Traité 2. cap. 2. §. 7. Add. Eiusdem Autoris: Essai sur l'entendement, Lib. 3. cap. 9. in fine.

(d) Vid. BOVRDALOUE, Tom. 2. Sermons pour la Careme 6. p. m. 847.

(e) Hoc pluribus quoque demonstraui in mea Oratione academica, de *Discordia et Concordia*, quam Festo pacis restituae, nimirum die 14 Martii, 1763. in Athenæi Hammonensis auditorio maiori publice recitavi, ac post demum etiam notis quibusdam et obseruationibus illustratam typis Vtzianis publici iuris feci.

»DER MEVLEN, (f) verendum, ne illi, qui inter se nulla iura ob-
 »feruant, etiam cum exteris, et vicinis populis, eodem modo cer-
 »te acturi sint, atque tum satius est praeuenire, quam praeueniri,
 »atque ea remedia adhibere, quibus efficere possumus, vt ad fanio-
 »rem mentem redeant, corrigendo et puniendo scelera et flagitia,
 »et si cuncta frustra tentata remedia tanquam pars insanabilis à cor-
 »pore societatis dinelli debet, ne pars sincera trahatur, et eadem
 »labe contaminetur.» Quo nomine quoque Francorum, et cete-
 »rorum Germanorum bella aduersus Gallos quondam gesta, magna
 »vriusque probabilitate defendere licebit; (g) sicuti et illis patrocinari,
 »qui, imminenti grauioris periculi metu haud vano ad arma susci-
 »pienda compulsi, alios facultate nocendi priuare laborant. (h) Ex
 »quo vero per mutuas pactiones maioris securitatis, tranquillitatis-
 »que communis causa respublicae constitutae fuerunt, libertatem sen-
 »tiendi, naturae beneficio tributam arctioribus cancellis inclusam
 »fuisse, in nulla fere controuersia, aut contentione versatur. Vt me,
 »ait VALENTINIANVS Imperator, (i) ad imperandum Vobis ele-
 »geritis, in vestra situm erat potestate, o milites! ast postquam me
 »elegistis, quod petitis in meo est arbitrio, non vestro. Vobis
 »tanquam subditis competit parere, mihi, quae facienda sunt, co-
 »gitare.« Neque enim ad officium Magistratus hoc duntaxat spe-
 »ctare viderur, vt spirent homines, cibi delicatioribus et potione
 »reficiantur; sed ne idololatria, ne in Dei nomen sacrilegia, ne ad-
 »uersus eius veritatem blasphemiae, aliaeque religionis offensiones
 B 2 publi-

(f) In Comment. ad Hug. GROTIJ Lib. 2. de Iure B. & P. cap. 20. §. 40.
 p. m. 687.

(g) Vid. MEINDERS Tractat. de Statu relig. & reipubl. sub Carolo M. Dif-
 fert. 3. cap. 2. pag. m. 225. seqq.

(h) Conf. GYNDLINGIANA, Tom. I. fascic. 5. Sect. I. et BARBEYRACI
 Not. ad PUFFENDORFFII Iuris nat. & gent. Lib. 8. cap. 3. §. 4. not. 3.
 et cap. 6. §. 3. not. 1. et §. 5. not. 5. vbi PUFFENDORFFII, et qui il-
 lum sectantur scriptorum sententiam contrariam examinat, atque nimis
 generale esse solidis argumentis demonstratum iuit. Add. HVBERTI
 Tractat. de iure ciuitat. Lib. 3. Sect. 4. cap. 4. §. 9. seqq.

(i) Apud SOZOMEN. Histor. Lib. 16.

publicae, ut ab Atheis, Indifferentistis, Enthusiasticis poetico ingenio praeditis, Freygeister, und Freydenker, produntur, emergant, ac in populum spargantur, ne publica civium salus quicquam detrimenti patiatur, ac cum honestate atque modestia ipsa concordia pereat. (k) Et quamvis neutriquam probabile sit, civitates unquam ad introducendam propagandamque religionem, quatenus ea in animo et intellectu consistit, fuisse conditas, (l) tamen interior consociationis civilis natura, et imperii ratio satis manifesto docent, omnem hac de re controuersiam, ac sensum arbitrio summae in republica potestatis obnoxium reddi, quotiescunque vel directo, vel per consequentiam publico reipublicae statui adferre quicquam detrimenti queat. (m) „Hic enim frustra prouocatur ad libertatem conscientiae; frustra allegatur, Magistratum non habere ius in subditorum conscientias: neque enim Magistratus hoc modo dominatur conscientias directo, sed potius ipsum ius naturae, ius illud diuinum, quod imperanti parendum esse docet, mentem percellit, ut in statu civili iussa imperantis sequatur,“ uti, hisce verbis hanc meam sententiam etiam opposite docuit BEAUMEHRS, Praeceptor et Promotor meus, dum inter viuos erat, fidelissimus. (n) Itaque Magistratus omnes suas curas merito conuertunt eo, omnesque vires impendunt, ut in locis publicis ea salutaris doctrina Christi et Apostolorum publice, proponenda destinatis civium animi verae religionis sensu imbuantur: ita ut praecipua doctrinae capita non modo rationis ope intelligant; sed eadem refellendis aliorum erroribus sufficere etiam conuincantur. (n) Conuenit

(k) Conf. CALVINI Instit. relig. Christ. Lib. 4. cap. 20. §. 3. pag. m. 263. seqq.

(l) Vid. CLERIC. Bibliothec. chois. Tom. II. pag. m. 289. Samuel. de PUFFENDORFF. Tract. de Habitu relig. ad stat. civil. §. 3. et 4. et in appendice aduersus Houtuin.

(m) Vide allegatam BOEHMERI Dissertat. prael. m. §. 19. Conf. quoque Arnoldi Mauritii HOLTERMANNI Tractat. de Lege Regia Cap. 13. §. 5. pag. m. 226. seqq.

(n) Conf. L. B. a ZECH Europäischer Herold, Vorbericht, pag. m. 41. & seqq.

§§ (13) §§

uenit quoque, vt si qui nihilominus doctrina et suafione, ad assensum cultui praescripto tribuendum, se perducere haud patiantur, legibus sub seuera poenae comminatione caueatur, ne propterea religionem dominantem damnent, aut quadam afficiant contumelia. (o) Quin & grauioribus nonnunquam castigationibus, in primis relegationi locus esse potest, si iustae causae metuendi adfuerint, ne dissentientium vel superstitio, vel impietas, vel etiam indifferentismus seu naturalismus, Freydenkerey, Freygeisterey, ad turbas seditionesque in republica concitandas accommodata fuerit, vt supra iam commemorauimus, exemploque demonstraui; vel quoque malae rei documento, seu exemplo, ad delictum aedificante, reliquis scandalum praebeat intolerabile: (q) Quamuis alioquin à Principis Magistratusque imperio alienum esse videatur, vt flammis, ferro, carcere, atque ceteris propter ipsam opinionis varietatem, nulla pertinacia coniunctam in dissentientes animaduertatur. (q) Qui enim per malitiam errant, semper puniendi sunt; non quidem ob errorem, sed ob malitiam quae comitatur illum: sicque vnus idemque error in altero poena dignus; quinimo facinus esse pessimum potest, in altero autem secus. (r) Cuius rei iudicium autem nemo sane, nisi Princeps, aliique summi Imperantes et magistratus vindicare sibi poterunt. Nam bonitas & malitia actuum ciuiliu obscuras saepe habet disceptationes, et tanta est imperantium auctoritas, ob nimirum ius speciale, quod in suos quaesitum habeat, praesertim si ad consultationes adhibeant viros a pietate prudentiaque laudatos atque praeclaros, vt iudicari queat, nihil inique eos, nihilque praeposte-

B 3

(o) Vid. B. CHRISTI THOMASII Dissert. de Iure Princip. circa adiaph. cap. 2. §. 8. et 9.

(p) Conf. TERTULLIANI Tractat. de Virgine velanda, cap. 3. pag. m. 235. seqq.

(q) Vid. B. CHRISTI THOMASII Dissertat. An haeresis sit crimen, §. 6. et passim. B. de COCCII Dissertat. de Iure Principis circa haetic. §. 22. et seqq. quae legitur in eius Exercit. curiosar. Volum. 2. Disp. 14. pag. 271.

(r) Vid. VELTHVYSII Tractat. de Idololatria et superstit. Part. 5. cap. 3. §. 7. pag. m. 863. seqq.

postere vnquam statuere. (s) Atque etiam hac ratione iuri libertatem conscientiae restringendi, cum in primaevo naturae statutum intra reipublicae constitutae fines, locum esse omnino arbitramur. Quae tamen omnia minime obstant, quominus legibus fundamentalibus, murisque pactionibus determinatio specialior fieri semper queat, quid nempe summis Imperantibus hanc circa rem disponere liceat: maxime quum plerique discordiarum scopuli sic eitentur, ad quos, ne reipublicae nauis alloquin offendat, magnopere metuendum est. Censetur ergo inprimis reipublica Romano-Germanica eo nomine, ac summo iure felix, quae postquam religionis dissidio superioribus saeculis diu multumque agitata fuisset, in Pace sua dicta Religiosa tandem, *Instrumento Pacis Westphalicae*, atque in primis annis decretoriis in causis religionis Palladium quasi inuenit, ad quod secure in aeuum conquietat. Quod si multis euincere hoc constituissem, ipsa rerum argumenta in medium produci necessario oporteret. Sed quia id iam quondam feci in *Meditationibus meis*, seu *Responsio iuris*, sub rubro: *Rechtliches Bedenken über drey wichtige die Religions-Freyheit in dem Heil. Römischn-Teutschen Reiche betreffende Fragen*, anno 1752. Wetzlariae, impensis ac sumptibus Winckleri publici iuris facta; merito nunc ergo solum huius rei abrumpo: quoniam ex hisce iam constat satis, hac de re sapientibus satis dictum. Praelectiones itaque meas, futuro semestri hiberno, ac quidem, quoniam mihi inter alios etiam autoritate Caesarea et Regia in Alma Fridericiana, anno 1730. collata, concessa et indulta est facultas de iure respondendi, docendi, disputationes meo praesidio tuendi, meumque auxilium implorantibus auctoritate doctorali impertiendi, vt Promotoris mei nimirum nunc Beati IUSTI HENNINGII BOEHMERI, verba, in Oratione inaugurali, *de Meritis Augustanae Confessionis in rem iuridicam*, in soleenni promotione doctorali, die 26. Iunii, dicti iam anni, recitata, sese habent, auctoritate doctorali in hac Musarum sede suauissima atque amoena priuatim habendas, publice nunc exponere, seu paucis indicare restat. Omnia enim experiri, quae honesta, viroque proba et ingenuo

(s) Conf. HERTII Dissert. de Collisione legum, Sect. 2. §. 18. pag. 72. seqq.

¶ (15) ¶

genuo digna sunt, mini meque ab vllō recte sentiente vnquam vituperanda, cogit saepe fortuna aduersa: Ex malis enim magnis minimum eligere, temporibusque inferuire prudenter oportet. Verum enim vero maius est, solidam promouere eruditionem, quam multos possidere nummos, multosque habere vanos Titulos, vanosque, vt vulgo audiunt, characteres: maius est paruum diuitiarum summam aliis foenori dare, quam clausa obsignataque arcato possidere: maius est, in aliis impendere, quam in se admirari vtilissimas rerum et diuinarum et humanarum scientias. Philosophiae et Iuris Vtriusque Studiofis itaque etiam fidelissime ac indefesse rectam planamque viam vti iam a multis annis comprobauī, monstrabo, quae nimirum ad abditos iuris priuati et publici, perfacile inueniendos Thesauros ducit: Itaque IOACHIMI HOPPII *Examen Institutionem Imperialium* explicabo: in BVRCARDI GOTTFREDII STRVVII *Kurzen Begriff Deutscher Reichshistorie*, commentabor: SAMVEL STRIKII *Examen Iuris Feudalis*, enucleabo: ac denique etiam ad ductum IOANNIS IACOBI MOSERI *Grundriß der heutigen Staatsverfassung des Deutschen Reichs*, *Ius publicum Romano-Germanicum* plane pleneque tradam. Humanissime ergo hisce rogantur, qui praelectiones meas vtilissimas fore putabunt, et meam in soldiae iurisprudentiae scientias desiderant manuductionem, vt de hora pluribus commoda, aliisque conditionibus, si luber, mecum conueniant. Quo praeuio, quum certus honoratissimorum Auditorum numerus praesens erit, statim quoque Praelectionum mearum initium faciam; & mensibus sequentibus, Deo adiuuante, has meas Praelectiones, supra indicatas, ad finem perducere obnixè conabor atque strenue contendam.

Dabam Kilonii, die 30. Iulii, MDCCLXVI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Datum MDCCLXXVII

17



ULB Halle
001 601 61X

3



TA-→OL

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

MEDITATIONES

DE

IVRE RESTRINGENDI LIBERTATEM CONSCIENTIAE,

QVIBVS

PRAELECTIONES FVTVRO SEMESTRI, A FESTO MICHAELIS HVIVS ANNI VSQVE AD FVTVRVM FESTVM PASCHATOS IN AEDIBVS SVIS PRIVATIM HABENDAS

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA INDICIT

IOANNES FRIDERICVS VETTER,

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR, CONSILIARIVS AVLIC. AC QVONDAM IN ACADEMICO-GYMNASIO HAMMONENSI IVRIS ET POLITICES PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS.

FRANCISC. SANCTIVS BROCENSIS *in Praeust. ad Mineruam, seu de causis Linguae Latinae Tractatum:*

Inuidiam, quam semper contemnere potius, quam deprecari studerim, neque placare contento, neque nunc declinare cupio; sed tantum aliis inferuire scientiis meis opto atque desidero.

K I L I Æ

LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR. A. MDCCLXVI.



22
E.C.

1766

9. 370.